

CXXIII.

- U. 69 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 127. 4. calamo currente ipsius Autoris scriptus, resectus, inculcatus, ut primos mentis conceptus in chartam coniectos agnoscas, continet *Explanationem Geneseos* ab initio usque ad C. II. v. 1. jam affectum. Initium est: *In principio creavit Deus celum et terram. Hoc uerbum introducens beatus augustinus XI^o. de Civ. Dei dicit ita. Quod deus fecit mundum. nulli potius credimus quam ipsi deo &c.* Si de Autore quaeras, *Henricus de Hassia* est, cujus Continuatio in eundem Librum mox adferetur.

CXXIV.

- U. 36 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 450. f. currente calamo per duas columnas exaratus, rubricis distinctus, et olim legatus ad *liberariam Collegij beate virginis Marie Rubee rose a Johanne Hoffmülner Ecclesie sancti Stephani magistro chori*, ut praenotatum, continet vastum Commentarium in *Caput III. Geneseos*, qui inscribitur: *Tercium capitulum*, unde conji- cio, Partem esse superstitem *Expositionis in Genesin* ab ejus principio coeptae. Est vero hoc ingressu: *Sed et serpens erat &c. secundum diuisionem in principio istius zij capituli gen. in tres partes factam hic incipit tertia pars in qua posteaquam in pertractatione precedentis partis descriptus est status innocentie &c.* Quantum sibi indul-

geat *Interpres noster*, vel ex eo patet, quod mox diversas *Serpentum species*, puta *Aspidem, Regulum, Dypsadem &c.* fufe describere instituat. Sed et in omnem fidei morumque doctrinam late expatiat, ut *Rubricae* paginis superne impositae demonstrant. Finit tandem *fol. 432. p. 2. uel illa que committitur in commutationibus uel distributionibus.* Sequuntur *Indices* duo, quorum posterior a *fol. 305.* ducitur. De *Plantatore Gymnasii nostri Henrico de Hassia* refert *Trithemius in Catal. illustr. Viror. Germ.* inter alia: *Abundans et diffusus, quippe qui multis annis in lectura geneseos consumptis vix ad quartum capitulum libri pervenit, ac totidem volumina complevit.* Itaque hic iterum *Volumen ejus III. teneamus.*

Vestit illud postice *Membrana Biblica elegantissimo charactere hebr. in Germania*, ut videtur, exarata a *Libri Num. c. 8. v. 11.* verbis: *והנהיף אהרן את הלויים כגדיהם ויגף — וכבסו*

CXXV.

- U. 64 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. exeuntis Folior. 182. 4. currente calamo perscriptus, multis lituris, et emendationibus cum in textu, tum ad margines scatens, atque ita comparatus, ut *πρωτογραφος* videri debeat, complectitur *Commentaria in Genesin* a *C. III. ad ejus v. 17.* Testatur *Joh. Eckius*, dum concertationum scholastica-